

August Varenius


**Academiae Rostochiensis Pro-Rector Augustus Varenius ... ad solemnes
exequias Quas ... Dn. Henrico Schuckmanno, Icto ... meritis in totam Academiam
publicis incluto, nunc Beatissimo Ad diem 24 Septemb. in templo Jacobaeo
solemni ceremonia funerali paratas cupiunt ... Omnes omnium ordinum Cives
Academico ... invitat : [P.P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus d. XXIV. Septembr.
Anno MCLVI.]**

Rostochii: Kilius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn755910303>

Druck Freier  Zugang





1700
1700
1700

KL-241(4)¹

Oldendorp: Warhafftige entschul-
dinge. Rostock, 1533

wurde aus dem Band gelöst.

Steht bei Rara -

KL-241. (4.) <SON>

bestrahlt 2000



20
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
PRO-RECTOR
AVGUSTUS VARENIUS,
S. S. Theol. D. Hebraicorum & Ca-
teches, Christianæ Professor publicus
ad solemnes exequias

Quas
Venerando SENI & honoratissimo PATRI
Viro Amplissimo, Consultissimo, & Eminentissimo
DN. HENRICO
SCHVCKMANNO,
ICto Summo Camerae Impe-
rial, & Jud. Prov. Meckl. ADVOCATO
& Antecessori in Acad. Rostoch. Ducali celebra-
tissimo, Senatus Academici & Ducalis Consistorii
Assessori Excellentissimo meritis in totam
Academiam publicis ineluto, nunc
BEATISSIMO

*Ad diem 24. Septemb. in templo Jacobæo Solemni
ceremoniâ funerali paratas cupiunt*

AMPLISSIMI & MOESTISSIMI NUNC FILII
Omnes omnium ordinum Cives Academicos, eâ qua par
est reverentiâ & humanitate invitat.

ROSTOCHII,
Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad, Typ,
Anno 1656.



I quis in hac civitate adeo hospes sit, qui communium lacrymarum, publici in praesens planctus, & lugubrium palliorum causas inquirat, simile illi, quod ad exequias Magni Officialis à Parentatore Rege, inter clarissimos planctus enuntiatum in sanctis annalibus continetur, sibi responsum habeat. AN NESCIIS VIRUM PRIMARIUM ET MAGNUM

2. SAM. 3.
18.

CECIDISSE IN ISRAEL? Abiit, abiit XIII. CAL. OCTOBR. circa ipsum Meridianum Solem, *Academiae nostrae PAPINIANUS, in Serenissimum DUCUM Meckelburgicorum sanctiori Consilio, Academiae Senatus Concilio, & Illustri Ducali ac Juris Collegio Antecessor eminentissimus, Collega noster desideratissimus, ad cuius quidem sepulcrales, quas hoc ipso die parat Amplissimorum FILIORUM PIETAS, faces, si ipsa tot columninum suorum funeribus semifracta MATER ACADEMIA, per insignem suum mœrorem ad parentandum vivâ voce persuaderi posset, duo imprimis ageret: scilicet damnum ingens, quod ipsa tanti Viri, quem SENATUS ACADEMICI fulcrum decusq; fuisse livor ipse fatetur, acerbissime lugeret, deinde Virtutes suâ excellentiâ supra communem Vulgi captum assurgentes, quibus ille laborantem Rempublicam Academicam sæpè fultit, gratâ mente prosequeretur, commissura nunquam, ut cuius superstitis honori omnes boni faverint, de illius jam defuncti gloriâ in posterum aliquid delibetur.*

Ad magnorum Virorum funera, plangoribus & luctu publico honoranda, opus haut est ex non barbarâ aliquando barbarie exempla petere, & *vel Aegyptios* solemnium funeralium accuratissimos Magistros, *vel etiam Pænorum ἐν δημοσίῳ πένθει* ceremoniam, (quam his verbis adumbravit *Bibliothecarius catholicus εἰώθεισι ἐπειδὴν μείζων*

Diodor.
t. 19. Hist.
Bibl.
τὰ

τις ἀτοχία γένηται περὶ τὴν πόλιν μέλασι σακκίοις κατακαλύπτειν

τὰ τέλην) vel extremos Sarmatas, Bactros & ad Atlantem maximum Nigris, quos sicut in ipsis cunis vagientes: ita in suorum funeribus lamentis gemitus, & fœmineo ululatu, omnia miscentes, nemo unquam sine horrore audiverit, repræsentari. Sancto, cui hæc scribimus, & Sancti SENIS funeri decorum magis exemplum funerale SENIS PATRIARCHÆ, quod ita habet: *Jacob recepit pedes suos in te-*

Gen. 49. Etum suum, & expiravit, & aggregatus est ad populos suos: tùm ruens in-
33. c. 50. 1. faciem patris Joseph flevit super eum & osculatus est eum: cumq; præce-
pisset JOSEPH Medicis servis suis, ut aromatibus condirent patrem mortu-
um, impletis 40. conditura diebus fleverunt eum 70. diebus: & rursus ad
sepulturam, fleverunt planctu magno & gravi valde 7. diebus. Lacrymas
sanè, non plus sibi, quam Jacobo illæ Josephi & Ægypti, profuturas,
nullas nos poscit SENIOR noster BEATISSIMUS, quem ex hoc cor-

8. 3. ep. 22 poris contubernio emigrantem eodem, quo D. Ambrosius dignissimum Antistitem Acholium, epinicio prosequi licebat: *Abit, non obiit; Sed emigravit à nobis, veteranus Jesu Christi, cælo terræ solum mutans & plaudens alis, & remigiis spiritualibus dicit: Ecce elongavi fugiens. Quid enim? An ipsam Mortem, planctus nostri materiam voluerit SENIOR venerandus? At jam immortalibus suæ mortalitatis lacrymas intrudere, & ob illam, per quam IMMORTALIS SANITAS in salubriori ex resurrectione Christi aere inchoatur, mœrere mortem, nefas fuerit. Si quis dies plangendus, non fatalis, quo spiritus acceptus redditur: Sed natalis, quo reddendus accipitur, lugendus erat. Habet sanctorum funeralis dies auroræ instar, quæ licet aliorum nobis lumen extingvat, damnum tamen illud abunde nobilioris Solis splendore compensat. Audiatur Romanorum flos illibatus populi, suadeq; medulla. Ita ille: Nos si quid tale acciderit, ut à Deo denuntiatum videatur, ut exeamus à vita, læti & agentes gratias pareamus, emittiq; nos custodia & levare vinculis arbitremur, ut in eternam planeq; nostram domum remigremus. Sin autem nihil denuntiabitur, eo tamen simus animo, ut, horribilem eum diem aliis, nobis faustum putemus, nihilq; in malis ducamus, quod sit vel à Diis immortalibus, vel à naturâ parente omnium constitutum. Non enim temere aut fortuito sati & creati sumus: Sed profecto fuit quedam vis, quæ generi humano consuleret, nec id gigneret, aut aleret, quod cum exantlavisset omnes labores, tunc incideret in mortis malum sempiternum. Portum potius paratum nobis & refugium*
— putemus

Cic. 1.
Tusc. 2.

putemus, quo utinam velu passis perveni liceret. Audiatur sanctior in *Serm. 4.*
 Patrologia Cyprianus: Non potest vita eterna succedere, nisi hinc con- de morta-
 tigerit exire: non est exitus: sed transitus, & temporali itinere decurso lit.
 ad aeterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? Quis non mutari
 & reformari ad Christi speciem, & ad caelestis gratiae dignitatem venire
 citius exoptet? Hoc nos ostendamus esse, quod credimus, ut neq; charo-
 rum lugeamus excessum, & cum accersitionis propriae dies venerit, in-
 cunctanter & libenter ad Dominum, ipso vocante, veniamus. Magnus illic
 nos charorum numerus expectat: parentum, fratrum, filiorum frequens
 nos & copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secuta, & ad
 huc de nostra incolumitate sollicita. Ad horum conspectum & complexum
 venire, quanta & illis & nobis in commune laetitia est! Illic Apostolorum
 gloriosus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus: illic Martyrum
 innumerabilis populus ob certaminis & passionis Victoriam coronatus. Au-
 diatur sanctissimus ex Arabia Philosophus pariter & Theologus.
 NON lugendam ille suam putabat mortem, nec ad illam plangen-
 dam, sive funestos tibicines, sive naenias lacrymosas postulabat, quia
 sc. ex arte & Redemptoris fide mortem despiciere & Resurrectionis *Job. 19. 28.*
 verbo confirmatus dicere poterat: **וְרֵשׁ וְכֵר נִמְצָא בִי** Radix verbi
 (de futura resurrectione beata) invenitur in me. Audiatur illa Radix *c. 18. 15. 16.*
 verbi. Ubi, ubi, inquit, est expectatio mea (corona illa beatitudinis
 desideratissima) caeterum illam expectationem (illam speratam a me
 beatitudinem) quis adspiciet? Descendent (aliquando) Vestes sepulcri
 (decident in die novissimae tubae claustra sepulcrorum, aperiente
 tumulos potenti voce Redemptoris Filii hominis JESU CHRISTI)
 ubi simul (וְרֵר) non uni: sed omnibus sanctis coronandis) supra pul-
 verem (mortis) erit requies (aeterna). Atq; uti Phœnix in phœnice incon-
 nivis oculis Solem orientem ter intuita veneratur, antequam in nidulo
 suo caelesti conflans calore moriatur: Ita idem in putrescentium
 membrorum tabe concreta sedens Theologus, elocuturus ferri plum-
 big, stylo, nec nisi in petra insculpenda mysteria, post fidem nequaquam
 implicitam de consanguineo Redemptore seu Goel vivente, & novissimo
 super pulverem mortis Surrecturo triumphatore, ter videndum a se. *Job. 19. 23*
 CHRISTUM Solem Orientem & Redemptorem veneratur his verbis:
 (certo novi, quod) ubi post cutem meam (in pulverem mortis reda-
 ctam) hæc (omnia hæc, quæ in mortali corpore nunc squalida vi-
 dentur

Ibid. v. 26
 27.
 dentur vulnera, hæ pustulæ totumq; infirmitatis schema) *erunt excisa* (decassa, penitus sublata, neque in glorificato corpore amplius futura) *omnino* 1. EX CARNE MEA VIDEBO DEUM. 2. QVEM DEUM EGO VIDEBO MIHI. 3. imo hi ipsi OCULI MEI VIDEBUNT, non autem alienus (extra Testamentum Redemptoris, & fidem sangvinis Christi positus illum redemptorem *beatificâ illa visione* videbit) Et ut clarissime contemptum mortis & ineffabile desiderium videndi Redemptoris ostenderet, adjecit admirabilis virtutis Epiphonema: כרו כליותי בחקי i. e. *Consumantur* (præ intimo sc. desiderio illius beatæ visionis deficiunt) *renes mei in sinu meo.* Fuit idem illud Consilium *Cypriani*, illud desiderium *JOB*I, invictum, quoq; religiosissimi nostri *SCHUKMANNI* firmamentum. Mori nunquam timuit, quia sangvine *CHRISTI*, immo quæ *SCHUKMANN*O nostro semper ad novissimum usq; spiritum anchora firmissima, πρὸς λόγῳ καὶ πίστει ἀπὸ οὐρανοῦ ἀξίως fuit, vel unâ *preiosissimi* fluentis ex fonte lateris *JESU* sangvinis gutta, se etsi magnum peccatorem mundatum novit, quia nullis suis: Solis autem *JESU CHRISTI* meritis, Cruce Christi, Passione Christi, Sudore sangvineo Christi: sed & quod magis est *resurrectione Christi* sedentis ad *dextram Patris* & *interpellantis pro nobis* censerî voluit. Mori non timuit, quia se de seculo recedentem non in æthere dormiturum cum filiis *platonis*, non in aere cum *Ario philologo*, non circa Lunam cum *Endymionibus stoicorum*: non restiturum in lacteo circulo, ubi *Heroas* ab hominibus discretos antiqui posuere *Sapientes*, non hæsurum in regione *tonitru*i, ac *pluviarum*, quod ratos quosdam meminit *Hieronymus*, novit: novit se aerem omnem, fulgutum domus, stelleros globos prætervectum rectâ ad *Sanctissimi* numinis augustum Prætorium, ad *CHRISTI*, fratris gloriosum thronum evolaturum, & illic ævo sempiterno, solennitate sine fine, serenitate sine nube perfruturum Abeant ergo hoc nomine à *SCHUKMANNI* funere, Præficæ, absint cupressus pallidæ; absint flebiles *Elegiæ*, & horrida pompa *mærentis Libitinæ*! Qui ex ipso inquieto pelago, portum subvit, qui ex campo victor rediit, cui ab ipsâ morte verus dies nuptialis successit, *Epithalamia* & *Celeusmata*, non tristes *Elegos*, immortalitatis jure poscit. Timeat mori, qui de seculo recedens perennibus penis *æternæ flammæ* est torquendus. Timeat mori, cui hoc longiore *annorum*

narum morâ confertur, ut cruciatus ejus & gemitus interim differatur: Mortalitas Christi hostibus pestis est. DEI servus salutaris excessus est. An verò SCHVKMANNI nostri mors plangenda, quia immatura? Superavit annis militiæ Davidem; non in hujus vitæ Theatro spectator: Sed præliator fortissimus natus Anno c1o 15XXC. IV. 25. Julii ipso die JACOBI, 4. annis, & 2. ferè mensibus circumscripto Septuagenario Davidico major. Sed vita forsitan & ipsa SCHVK- Pf. 90. 10.
MANNI his in terris militia calamitatibus maximis insignitèr notata plangores poscit? posceret, nisi magnis ubiq; felicitatibus, ex cœlestis benedictionis fonte, calamitas omnis temperata fuisset. A beneficio Christianissimorum Parentum HERMANNI SCVKMANNI Integerrimi Osnabrug. Civis & ANNÆ FLORICHIÆ sanctissimæ precatrix, à Sacramento rubri fluminis, à claritudine patriæ OSNABRUGÆ vel solo PACIS GERMANIÆ INSTRUMENTO toto orbe celebratissimæ, à concordia fratrum JOHANNIS & HERMANNI SCHVKMANNORVM, illius civili apud Lubecenses, & Senatoriâ olim apud Osnabrugenses dignitate conspicui: hujus apud Oldenburgicum Comitem Secretarii, & post illâ Civis Osnabrugensis Integerrimi, prima defuncto felicitas. Successerit calamitas prima. In ipso primo pueritiæ SCHVKMANNI nostri flore occidit, occidit Pater: unde ad mœrorem abjecta Mater, quotiens liberalissimè diffluentibus lachrymis cantare audita est hymnum illum: von allem Menschen abgewand zu dir meine Seel erhoben / & clausulam maxumè illam penetrantiorè: Meines Herken Wehe ist mannigerlei / totièns verissimam pudicissimæ Turturis vocem expresit, easdemq; lacrymas SCHVKMANNNO nostro hæreditarias fecit, qui nunquam eundem hymnum eccinit, nisi id simul faceret, quod olim mater fecerat, per lacrymas suas, quis ubiq; & ad nostram imprimis Rosam abituro studiorum causa filio præmisit, magna SCHVKMANNNO nostro felicitatis conciliatrix. Cessere feliciter studiorum elegantium Tyrocinia, jacta firmitèr Osnabrugæ, Lemgori, Mindæ literarum fundamenta, adeo ut omnibus elegantibus literis non levitèr tinctus: Sed penitus imbutus, altius egressurus cœlo Academico sublimioribus studiis examusimè polendus sese crederet. Hactenus ergo parvam saltem plandus: magna plausus materiam SCHVKMANNVS noster repræsentavit. Ipsum autem curriculum Academicum, quot & quanta habet documenta cœlestis

caelestis benedictionis & felicitatis. Eminebat sub id tempus hoc in Varni litore Capitolium Academicum excellentissimis in omni genere disciplinarum viris: magna illi dignitatis incrementa, cum summâ nominis sui per orbem famâ dederant incomparabiles Themidis Antistites JOHANNES BORCHOLDUS & JACOBUS BORDINGVS, quibus haud dispaes florebat ICI summi, & de immortalitate nominis sui post fata securi, ERNESTUS COTHMANNUS, BARTHOLOMÆUS CLINGIUS, ALBERTUS HEINIUS Senior, de quorum inuifitato splendore amplius tacere malumus, quàm ut intranscursu & inopiâ orationis pariter de summâ rei detraxisse videamur, ad mittere. Patuerunt SCHUKMANNONOSTRO, simul ROSTOCHILIM antecurrentibus Matris lacrymis & jam tum in primâ Academiâ, Filio sedem honoris & portum futurum, providentiâ cœli sic disponente, impetrantibus, Anno clobcV. intravit, Magna illa ICTorum ingenia, sub quibus præmissis *Humanitatis & philosophiæ studiis*, quam pulchra sæpe certamina publica Opponendo, Respondendo dederit, quàm nobili fervore, in *Jurisprudentiâ*, in quâ vitæ tabernaculum collocare ejusdemq; sinu conquiescere decreverat, discendo, (ex Præceptorum etiâ sanctorum concessione benevolâ) docendo, de EXCEPTIONIBVS sub ALBERTO HEINIO ICTo Amplissimo Moderatore, conscriptam Disputationem masculè defendendo, militaverit, hujus chartæ angustia non capit. Convictus illi, non sine exemplis, per quæ proficere poterat, sub oculis JOHANNIS POSSELI Prof. Græci novissimè incomparabilis, JOHANNIS MORINGII, FRIDERICI CORFELI Practicorum J.U. Doctorum felicissimorum. Successit in felicitate Academicâ primâ, nova felicitas. Factus SCHVKMANNVS noster *Ephorus Nobilissimi Juvenis ANDREÆ MORDERI* Equitis Pomerani. Et tantus jam NOSTER ROSTOCHII per sexennium factus erat, ut splendidum *Bireti Doctoralis* in utroq; Jure brabejum, Judicio eminentissimorum, quos meminimus, ICTorum ordinis, sine ambitu, oblatum auferre secum potuisset, nisi ex modestiâ humilius de se sentiendò, imparem sese ipse æstimasset, contentus in præfens Nobilissimi ordinis Judicio. Vidimus effectum maternarum lacrymarum primum Rostochii. Exinde cura jam doctrinæ omnimodæ, juris omnis ubertatem ac opulentiam in numerato haberet, aliarum Rerum publ. terrarum instituta, ingenia, mores, oculis ipse usurpaturus, ut

ut sc. esset aliquando consumatissimum Instar, & Exemplum daret ICTI
verè eruditi, iuit cum Generoso suo SCHVKMANNVS in supe-
riores Germanos, & in fensâ per annum coronâ urbium Rheni *Argenti-
nâ*, quæ ad modum veteris Massiliæ omnis bonæ Disciplinæ est Magi-
gistra, neq; minus armorum, quàm artium instructissima officina, sve-
vos petiit, inibi; florentissimam celebritate Doctorum Virorum
TVBINGAM, Habuit hîc NOSTER Theatrum honoris, in *Illustris-
simum Collegium* receptus, ubi quàm nobiles pugnas legendo, dispu-
tando in Jure publico & privato dederit, cogitandum naris non obese
hominibus relinquere malumus, quàm culpâ scriptionis aliquid detere-
re. Neq; in tanto Theatro defuerunt *spectatores* Augustissimi: ad
fuerunt *Sex Sacri Rom. Imp. Principes* 2. *Holsati* 2. *WVurtemberg.* 2. *Saxonici*
qui in eodem Collegio, principali animi destinatione in libris hærebant
& pacis belli; jura sine bello tractabant. Ita per biennium militatum
Tubingæ, non sine Principum, Nobilium HEIMBVRGII in primis
Equitis Brunsvicens. totiusq; Academiæ applausibus & magnâ procli-
vitate benevoli affectus, Reducto inde in patriam MORDERO, ad
CAMERAM spirentem, velut summum in S. Rom. Imperio forum &
Themisterium evolavit NOSTER, visurus ipse, splendidi illius & su-
premi Justitiæ Afyli descriptionem, totumq; in illo Juris & justitiæ
apparatum, in quo magnâ Juris gloriâ ADVOCATUS futu-
rus erat. Et jam tempus erat *Bireto* cum plenissimo honore su-
mendo. Traxit ergo nostrum Spirâ, Palatinatus ocellus *Heidelbergæ*:
traxerunt illa Juris miracula, *Reinerus Bacchovius*, *Echtius*, *Dionysius*
GOTHOFREDVS, *Daniel Nebelius*, qui cum immortalî famâ jus eâ
ætate è superiore loco in illâ docebant. Pugnavit sub his noster
& de *sententiâ & re judicatâ* militavit pro honoribus in J V. summis
non sine gloriâ. Lata à Curialibus *sententia*: CORONANDUM
esse SCHVKMANNUM NOSTRUM SVO MERITO: & transivit
eadem in Rem judicatam. Ita coronatus & DOCTOR NOVEL-
LUS, Heidelbergâ Rostochium ad primam Academicæ militiæ pa-
læstram reversus est noster SCHVKMANNUS, documentis
felicitatis & magnis & multis, *Calamitatis* vel paucis, vel nullis.
Venimus ad Doctorem, Videamus *Mariti* SCHVKMANNI sive plan-
genda, sive plaudenda. Rostochium velut in alteram patriam re-
versus & consilia Matris aliorumq; non aspernatus, ad nuptias ani-
mum appulit, electâ è choro Rostochiensium Virginum, pudicissi-

mâ, & ad relam ac rem familiarem â teneris probè educatâ Spon-
sâ ALBERTI STECHOVII Civis apud nos primarii, & AGNETÆ
PEGELMÆ filiâ unigenitâ: itum ad aras Anno cto lbc XIV. M.
Novembri. Nova hic felicitas. Succellit, fateor primi conjugii
calamitas; Decidit *in ipso partu soboles prima fœminina*. Sed mirare
liberalissimam fœminini funeris compensationem. Successere vivi-
da magis proles, *decem generosi palmites*, prævalente *Septenario Sexu
masculino*. At hic iterum novaplanctus (non inficior) materia: ca-
dunt *flosculi*, DAVID uterq; , AGNETA & ANNA AGNETA. Ce-
cidit paulo adultior ANNA. Obiit non jam amplius flosculus: Sed
flos adultus, ALBERTUS I. V. Studiosus, annos 21. natus: Abiit 6.
post Albertum annis *inter admirabiles de morte triumphos*, JOHAN-
NES SS. Theol. Studiosus anno 1644. Emigravit post 4. annos JO-
HANNEM fratrem secutus HENRICUS jam *de laureâ Doctorali*, pro
quâ magnâ laude cum Fratre Candidatus steterat, securus, quorum duo-
rum fratrum illud peculiare, quod uterq; uni ex superstibus Fratri-
bus Excellentissimis, ille HERMANNO THEOLOGO, hic CON-
RADO Icto peregrinas oras lustrantibus à latere fidus Achates
iverit & alter quidem saltu felici, peregrinatione absoluta recta è Patria
in Patriam cœlestem migraverit, alter autem in ipso reditu in ipsa
Patri SCHUKMANNO Patria, in ipsis Pacis Germanorum comitiis
fini proximis, ad æternæ & tutissimæ Pacis, cujus *instrumentum* San-
gvine JESU CHRISTI obsignatum, regionem jverit. Ad hæc flori-
dæ sobolis acerbissima funera planxisse SENEM nostrum SCHUK-
MANNUM mirum non est, si vix *sando quis temperet a lacrymis*.
Sed planctus illos sustulit gaudium domesticum *duorum Filiorum*,
in ipsa dignitatis eminentiâ SENI patri filiali obsequio ad exemplum
Filiorum omnium sine ullo murmure expromtorum. Vidit primo-
genitum DN. HERMANNUM post annos Academicos Insigni laude
confumatos SS. Theolog. Professorem, Rev. Concilii Academici, & Illu-
strissimi Ducalis Consistorii Assessorem, SS. Theol. Doctorem solemnî ce-
remonia creatum magna nominis fama & Dei inprimis gloria de to-
tius Universitatis studiis præclare hætenus merentem: Vidit quinto
genitum CONRADUM J. U. Doctorem excellentissimum, & in hac Acad.
J. U. Professorem vicarium, eoq; nomine in ipsa Amplissima facultate
meritis Consiliorum, in quibus & laboriosum se & peritissimum Le-
gum

gum totiens ostendit, Clarissimum. Vidit filios hos jam in dignitate
 excellenti positos Maritos. Vidit ex Reverendo Theologo D. HERMANNO
 ejusdemq; Caja MARGARETA LEMMICHIA nepotes, HENRICUM,
 JACOBUM, JOHANNEM: Neptes, ANNAM, MARGARETAM: vidit ex
 CONRADO Icto ejusdemq; CATHARINA SMIDIA unum nepotem,
 HENRICUM. Quæ non gaudia & quas non delicias hinc SCHVK-
 MANNO SENI AVO natas oportuit, in cujus gremio & amplexibus
 imò in cujus visceribus ac medullis serpebat hæc nepotum tarma,
 quò annis tenerior, eò SENI AVO delicatior & charior.
 Incidere interea, quis neget? acerbissima SCHVKMANNO nostro tem-
 pora. Illa, quæ à primâ face adusq; novissimam in magnâ fidei, CON-
 CORDIÆ, & prudentiæ domesticæ laude SCHVKMANNO no-
 stro copulata perstiterat & totiens curas & molestias, quæ ut pluri-
 mum nunc, publico efferuntur, placido sermone, & constanti amo-
 re absterferat, Anno cto 16cXXXV. in duodecimo puerperio, militari
 scæminarum mortè, unâ cum fœtu, quem eniti optabat, occidit:
 in militiâ JESU prælatrix invicta, & in cœlo palmis dudum coronata.
 Conciliabatur, ita poscente Oeconomia, & τῆ ψυχο-
 ρεοφία SCHVKMANNO nostro secundum conjugium, cum ANNA KOL-
 ZOVIA, quæ Marito suo Thomâ Hagedornio paucis abhinc annis fue-
 rat orbata. Signatæ tabulæ. Dicitur feliciter. Vixit cum hæc uxore
 annos 14. sine jurgio, sine offensâ. Illa vivis sine sobole exemptâ Anno
 cto 16cL. valetudine majorem in modum attritâ & debilitatâ, Oecono-
 miam Singulari exempli, senectuti præsidium, & domus firmamentum
 impetravit ELISABETHAM ROGGLIAM, senatore hujus urbis primario
 JACOBO ALVVARO jam antea orbatam. DOMINUS illam anno LI.
 dedit. DOMINUS illam SCHVKMANNI SENIS tertiam vitæ sociam an-
 no LIII. abstulit. Auxit SENI nostro dolores mors NURUS dilectissimæ
 ANNÆ SCHMIDIÆ in primo puerperio à FILII dulcissimi lateribus
 avulsæ. Ita Beatissimi nostri senis vita THEATRUM fuit mortalitatis, in quo
 miscentur tristitia lætis. Admisit in tot crucibus facile solatium, qui cum
 JOBO pariter dicere poterat. Radix verbi invenitur in me: Neq; adeo
 ex hoc temperamento calamitatum alternantium sumere nos Beatissi-
 mus cupit in funere suo argumenta lacrymarum. Satis illi ad hujus
 seculi felicitatem fuit, VITA AMPLISSIMORUM FILIORUM ET DUL-
 CISSIMORUM NEPOTUM SCHVKMANNORUM, qui quamdiu erunt

(Vivant!) tamdiu ne terris quidem se ablatum **NOSTER** æstimabit. Quæ ergo superfit lamentatricibus conducendis materia? An plangendus **NOSTER**, quia dignitatibus eminentibus maturè est præreptus? Defuit ex hæc parte nihil. Jam *Doctores* honore fulgidus, latere non potuit, *Advocatus* initio, & in Provinciali Synedrio Stellæ montano *Procurator* auctoritate Ducali constitutus. Successit gradus sublimior. Apud Ordinem Equestrem per hanc Provinciam magis atq; magis inclarescere cœpit nomen **SCHUKMANNI**. Constabat Papiniani nostri pectorale, unde splendor Juris omnis, scientia Legum, candor sapphirinus sese fulgido radio ostendebant. Erat enim **SCHUKMANNUS** noster, ita *Procurator* causæ, ut in prius esset *Observator* conscientiæ, & *consultor* justitiæ. Huic si contrariam partis litigantis causam vidit, extemplo patrociniæ, monitis in faciem partibus de nullo jure, denegavit, hostis illorum *Jurisconsultorum* infensissimus, qui curi conscientia linguam quoq; venalem circumferunt, & ubi nares cujusquam rubiginosi aura marsupii afflaverit, lites mirâ arte sufflaminant, & quos semel in plagas suas compulerunt, eos non nisi pulchrè depilatos demittunt, vel etiam ligatâ litium catenâ ad hæredes causam transmittunt, prærepto jam, forensi latrocinio, misellorum clientum patrimonio. Aliter se habebat virtus **SCHUKMANNI**, quapropter Ordo Nobilium non diutius cunctandum ratus in summo illo provinciæ totius *Dicasterio* *ASSESSOREM* suo nomine *BEATISSIMUM* nostrum esse voluit, quod *Generosi* ordinis iudicium atq; *SERENISSIMUS* speciali privilegio approbavit & confirmavit. Ita **SCHUKMANNUS** noster *Areopagita* sedit: neq; sedit saltem: sed & si quid vel à Nobilissimorum Ordine, vel *Serenissimorum* auctoritate in legationibus & controversiis componendis, aliisq; maximis Principum vel Equitum negotiis & deliberationibus expediendis extraordinem demandabatur, magna fide sine molestia expedivit & feliciter controversias plurimas diremit. Ex *Areopagi* sessione ad vitam aulicam pariter & *Academicam* vocatus, Anno clc *IsocXXXIII*, *Serenissimi* Principis, *JOHANNIS ALBERTI* gl mem. auctoritate inter *CONSILIARIOS* interioris admissionis adlectus & *Professor* in hac *Universitate* publicus ac *Consistorii Ducalis* *Assessor* esse iussus. Paruit *Serenissimo* vocanti, vel potius imperanti, qui in arduis sæpè negotiis **SCHUKMANNO** nostro *Consiliario*, quos mente reconditos habebat salutarium


consiliorum thesauros quoties opus erat, liberaliter depromente, ita est
 usus, ut nunquam ejus fidem Princeps optimus desiderarit. Retinuit
 illam *CONSILIARII* dignitatem, quamdiu Princeps in vivis fuit (neq;
 enim utcuq; contenderet, ætate ad senium inclinante missionem im-
 petrare potuit) Illo, anno cło 10c XXXVI. magno subditorum plango-
 re, mortuo, vacationem à laboribus aulicis tandem impetravit, labo-
 res in posterum omnes & Consilia principalia *ALMÆ MATRI ACADE-*
MIÆ & sanctiori Consilio Provinciali consecraturus. Audire jam
 erat *SCHULKMANNUM* è superiore loco totiens docentem, totiens in
Disputationibus, Inauguralibus imprimis, magno totius Academiæ, illorum
 etiam, quibus jam Doctoralis constabat honor, bono Præsidentem,
 in Reverendo *CONCILIO* intrepidè sententiam dicentem, in Re-
 ctoral, munere, cui quinquies cum magno justitiæ & Matris *Acade-*
mici applausu, præfuit, sine metu offensæ pro Jure, & Legum ac Dis-
 ciplinæ sanctitate, masculè decertantem. Vidit illum singulari adu-
 ltorum Papinianistarum bono, in *Collegiis Prædictis* publicè privatimq;
 merentem. Explicabit Beatissimi nostri in Facultate Amplissima la-
 bores, ipsa Facultas, & quod huic Chartæ deest, ab hac parte supple-
 bit. Apparet, ex titulis honorum, immortalitati nostri Funeris in-
 ferri querelas non posse. Ivit per gradus, & in fastigio stetit, Juris
 utriusq; *Doctor, in S. R. I. Camera imprimis Advocatus & in summo Provinciali*
tribunali Assessor, Juris Professor, in sanctiori Ducali & Academico Con-
cilio Senator, Consiliarius Serenissimi principis, totiens Collegii Nobilissimi
Decanus & Universitatis nostræ Rector: Sed nunc demum beatus,
 & verè honoratus postquam cælo receptus.


Nihil à parte *BEATISSIMI* nostri super-
 est plangendum, si non agon novissimus. At
 nisi pugna, quam novissimam Athletæ nostri
 vidi, pulchra præcessisset, minùs gloriosa coro-
 na successisset. Illa ita habet. A Sacramento
 corporis & sanguinis *IESU* initium, futurum in
 pugnis novissimis firmamentum. Illud pu-
 blicè more suo cum Sanctissimis lacrymis tre-
 mebundo succiduoq; poplite sumtum octo an-

telectulum feralem diebus. Auditum inde frequentius Symbolum militiæ: JESUS. XXIV. Aug. ex Sacris ultimò reverso cū dolore colico & illo primum mediocriter infraçto, cum inflammatione & maximis cruciatibus Symptomatum, bellum novissimum. Defecere Vi- res. Anni, merita publica, tot funera, calor præternaturalis interceperant. Consulti Expe- rientissimi Medici. Curatio prima satis ex voto frustra, quæ sequebatur. Prævaluit arti do- ctæ malum & jam per 14. dies supremos non am- plius videbatur ferendum. Quid noster BEATIS- SIMUS? seculo jã & sibi ipsi valedixerat vocebis in agonibus audita: *Stultitia stulticia*. Exinde pugnavit incredibili patientiâ, precibus, Symbolo memo- riali: JESU. Ita militatum ad usq; diem 19. Sept. ho- ram 11. merid. quâ in totius Amplissimæ fami- liæ, FILIORUM in primis lamentabili coronâ, inter astantium preces, ad quas brachiis jam magis quàm semimortuis, nudavit caput, in- terceptâ jam copiâ fandi, sensibus tamen & ra- tione hæctenus nondum migrantibus, exclama- vit, AMEN! & in Symbolo JESU complicatis manibus precator Jacobæus & iisdem, quibus ille Luctator, armis victor, placidè exspiravit, exinde semper futurus cum Iesu. Ita SCHUK- MANNUS plangi non cupit. Nostrum quisquis non plangit, vel quem efferimus ignorat,
vel


vel Cappadocem cum fronte Macedonici publi-
cat, culpandus uterq; , hic etiam quia Astutus. Ae-
stimabit summi ICTi merita Academia tota, do-
necerit. Agnoscet inprimis beneficia, quis-
quis in illâ sive DUCALIS, sive ICTus est. Aula
Serenissima, Stellæmons, bona Germaniæ pars,
quæ CONSULTOREM SCHUKMANNUM
æstimavit, jacturam nostram honorabili planctus
suffragio testabitur. Nos castrum doloris, vir-
tutibus Tuis, quia explicare nunc non licet, san-
ctissimè, circumscribimus. PIETAS ad omnia
utilis, Symbolum tuum. JUSTITIA & VERI-
TAS cortuum, CONCORDIA delitium tuum.
CANDOR, pectorale tuum. In candore can-
didus, ipsâ etiam canitie, ivisti ad illum, cujus ca-
put & capilli candidi. Agnoscimus: RARA FE-
RENT TALEM SECLA FUTURA VIRUM.
TU militasti pulchrè: coronaris splendide: con-
sumasti cursum. NOS, QUO ORDINE DEUS
VOCAVERIT, SEQUEMUR. Nunc, quia Fu-
nus Indictivum est, audiri postulat Alma mater
Academia, Audiamus matrem: ITE, FILII, EXE-
QUIAS OPTIMI FILII, SUSTENTATORIS
MEI. MAGIS MERENTIS HAVT FACILE, IBI-
TIS. Pareamus annosæ, canæq; MATRI, Et
scio, parebimus. P. P. Rostochii sub Sigillo
Reçtoratus d. XXIV. Septembr. Anno
cl̄CLVI.

Conventus fiet in Æde
S. Jacobi horà I. pomerid.










the scale towards document



Quidem diversæ passim Philosophiæ
 circumferuntur descriptiones, quas
 singulas, & recensere, longum; & ad
 rationis, in præsentiarum, libellam re-
 vocare, tædiosum foret. Antiquissi-
 mam ego primâ facio: tanquã à Philo-
 sophorū, quos habemus, Primate la-
 tã, omniumque, rectè philosophanti-
 um, calculò, hactenus approbatã Pla-
 tonis ea est, digna profectò Authore,
 abus tantum voculis, **MEDITATIONE**, puta,
 utatur. Censebat Divinus ille Vir, tantò nos eva-
 des, quantò vivaciùs consideremus mortem. Ne-
 ipso falsus est, cùm, quodcumque in Philoso-
 , circa mortis meditationem reperiamus. Mor-
 , quæ rectam vivendi rationem monstrat, atque
 it, quales esse in morte desideramus. Ea, animum
 quæ à verò nos abducere, aut aliquam, nomini
 m notam inurere possunt. Ea est, quæ do-
 , timorem pellit, tranquillitatem inducit;
 s casuum animum varietates firmat, adversus
 reddit, quando omnia ab eodem impedi-
 tantò paratior sit, sicubi res exiget, statim
 quando est faciendum, statim exire, quo ali-
 ndum, tabernaculo suo. Quæ enim ista mort-
 st, aut socordia, cùm cognati simus DEO, cùm
 terris animal, præter hominem, cognitione.

DE